

*tis feliciter militabunt. Militandum autem  
ijs erit, qui inter antistites Ecclesie locum ha-  
bere volunt. Etsi enim pacem Ecclesie quæres  
re debemus omnes, cum tamen maledicta sit  
pax, quæ cum jacturâ veritatis est conjuncta;  
nemo veritatis assertor esse potest, qui non ad  
bellum cum hostibus veritatis est paratus.  
Cum Nazianzeno ergò dicimus ex orat. 42.  
quæ est 2. in pascha: Bellum hoc, quod cum  
hæreticis gerimus, vel comprimatur, si se-  
rius quidem, sed tamen aliquando melio-  
rem mentem induere velint, vel si id face-  
re recusant, atque in sententia maneant, in  
tempus aliud differatur. Nec enim pro-  
fectò quidquam extimescimus pro Trini-  
tate & cum Trinitate dimicantes.*

*Ceterum, ut habeat Lector, ὡς ἐν συνοΐῃ  
singularum disputationum argumentum,  
Syllabum hunc subjungo unâ cum præci-  
puis erratis typographorum, quæ Benevo-  
lus Lector pro suâ pietate humana imbecil-  
litati condonabit.*

*Syllas*